

11+12 / 82

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXXII

RMOR VARIVS  
RMOR VARIVS I  
RMOR VARIVS F  
RMOR VARIVS F

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS  
RMOR VARIVS  
RMOR VARIVS

TOMUS 5

FASC. 38

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	öS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 12.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	öS 120.--

Übriges Europa Fr. 18.--

Uebersee U\$ 12.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes,

Sensu miro afficior hanc praefationem scribens, nam ego, dum haec verba legitis, miles inter arma versor. Ne putaveritis exercitum Helvetiorum, in quo his diebus stipendia mereor, aliquod bellum cum gente finitima gerere! Quod numquam evenire posset, quia, ut scitis, hic exercitus noster ex lege constitutionis patriae numquam alicui genti arma inferet nisi ab impetu armato proelio laccessitus. Utinam omnes exercitus etiam reliquarum civitatum orbis terrarum ad hunc solum finem existerent! Nam si ita esset: Ubi manerent bella atrocissima, quorum fama cottidie ad nostras aures pervenit, quae homines innumerabiles ubique terrarum dolore metuque maximo cruciant? Profecto totum mundum pax perpetua dominaretur, pax illa, de qua - heus! - tot populi adhuc frustra somniant. Scilicet etiam dies natalis Christi, quem hoc mense Christianitas toto mundo celebrabit, pace inter homines constituta multo feliciter celebraretur! Licetne sperare pacem aliquo die futuro inter homines regnaturam esse? Inter hos homines, qui omnibus temporibus praeteritis nescio qua mente bellicosa infecti semper bella inter se gerent? Licebit fortasse, ubi hominum mens aliqua vi divina mutata erit...

Quae ad me pertinent: Inter arma sum illarum exercitatio-  
num particeps, quibus quotannis habitis vires exercitus  
nostri exercentur. Paucos dies ante diem natalem Christi  
domum revertar in vitam civilem, qua multo magis laetari  
soleo quam hac vita militari.

Quae sunt partes ratae, quas in hoc libello invenietis?  
Inter alia scilicet carmina natalicia, quae noster socius  
operis, Amicus, e lingua Germanorum in Latinum vertit.  
Spero nonnullos vestrum haec carmina sub Christi arbore

Latine cantaturos esse! Porro invenietis aenigma magnum a Daniele Weissmann compositum, quo recte soluto praemia distribuentur; Scaenam II actus II tragoediae Beniti Mussolini a Plinio Prioreshi missam; alterum carmen Florindi Di Monaco, cui titulum "Amantes" dedit; porro plura "Facete lepideque dicta", quibus Amicus hunc libellum exdecorat... Ne vobis nimis loquax videar: ipsi legite, cari legentes!

Restat, ut felicem diem natalem Christi celebretis! Sit vobis novus annus MCMLXXXIII bonus, felix, faustus fortunatusque! Valete!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann

## Tria carmina natalicia

### Redemptor, caelum aperi

(O Heiland, reiss die Himmel auf)

Redemptor, caelum aperi,  
de caelo cito adveni!  
Divelle caeli portulas  
obices atque serulas!

Ubi es tu, solacium?  
Ubi es tu, spes hominum?  
Eheu, descende de caelo,  
affice nos solacio!

O sol, o sidus candidum,  
aspectamus petimus tuum.  
Orire sol, nam sine te  
desuperant nos tenebrae!

Inopia est maxima,  
mors instat nobis aeterna.  
Da manum nobis validam,  
duc nos in tuam patriam!

Latine reddit: Martinus Meier

## Christarbos arbos optuma.....

(Der Christbaum ist der schönste Baum)

Christarbos arbos optuma  
Quae terris his notescit;  
In hortulo, in camera,  
Quam viget haec mirifica,  
Quum quisque flos ardescit.

En, nocte mira accidit:  
Dominus olim natus,  
Salvator, qui nos redimit,  
Ni caelum apportaverit,  
Orbis esset turbatus.

Sed gaudium nunciam imperat,  
Lucernis nox abundat.  
Mi fili, omne comparat  
Iesus et dono tibi dat,  
Cor tuum et procurat.

Fac intret, non est somnium!  
Cor tuum hortum optat,  
In locum angustissimum  
Arbustum serit optimum  
Etiam id fide curat.

### O, sanctissime....

Cantus popularis Siculus

O, sanctissime  
Natalis (dies) fulgide,  
Matutina serenitas.  
Mundus est turbatus,  
Christus erat natus,  
Pia nunc gavisa est christianitas!

Versio Latina: AMICUS

# AMANTES

Systema: elegi

Contextis manibus procedunt semper amantes  
continuum per iter blanditiis saturum.  
Risus eis decorat labra claraque lumina pace  
sincera splendent roscida laetitia;  
Nubibus his vacuus polus ora nitore colorat 5  
et ver perpetuum lilia dat nivea.  
Felices numerant volucres et sidera longe  
undarumque modis nectere verba valent;  
ipsis vertuntur noctu astra per aequora mundi  
vixque comas dociles flamina dulce movent. 10  
Florida prata leves una celeri pede radunt,  
nec pluviam spernunt oscula quae religat.  
Papiliones ut tenues in fronde recumbunt  
somnia qui iuvenes concipiant placida;  
gaudia quam mire nova donant tempora cuncta 15  
quis liquido rivo vita fluit levior!

Florindo Di Monaco

## *His autem nostris diebus.....*

Commentarii rerum his nostris temporibus ubivis  
terrarum gentiumque gestarum.

Ricardus Horatius Edgarius Vallacius quinquaginta annos vita  
defunctus

---

Ricardus Horatius Edgarius Vallacius (Richard Horatio Edgar Wallace), scriptor ille famosus Anglicus, cuius fama per omnes propagata est terras gentesque, cuius nomen longe lateque in ore hominum ac sermone omnium est versatus vagatusque, ex concubitu extra conubium ortus est ("paelice natus"). Quandóquidem igitur, ut ita dicam, factum illud de origine eius accurate certum exploratumque est, uterque parens eius neutiquam est ignotus aut obscurus. Nomnia enim parent(i)um omnino sunt contestata.

"Impossibile est ab Edgario Vallacio (exspectatione suspensa) non esse captum!" - Nullo pacto fieri potest, ut ab Edgario Vallacio non captus sis! - Effici non potest, quin ab Edgario Vallacio (exspectatione suspensa) capiaris! ("Es ist unmöglich, von Edgar Wallace nicht gefesselt zu sein!")

Neutiquam profecto necesse est, omnes CLXX fabulas Milesias seu Romanas eius diligenter perlegere, ut facillime cognoscatur vis auctoritasque illius (dicti), de quo supra commemoravimus. Artifex autem fabularum Romanarum "criminalium", quae dicuntur, Ricardus Horatius Edgarius Vallacius die Iovis (quinta feria) 1<sup>o</sup> mensis Aprilis anno MDCCCLXXV<sup>o</sup> Viridi Vico (Greenwich) prope Londinium ad Tamesim matre Maria Iohanna Richards e gente Blair, patre Ricardo Horatio Edgario Marriott(o) ortus est.

Mater eius Maria Iohanna Richards e gente Blair, quantum reapse coniectare liceat, fortasse anno MDCCCXLIII<sup>o</sup> erat nata, officio eo tempore artifex scaenica ("actrix") in Theatro Vetere (Old Theatre) Viridi Vico erat. Paene XX annos nata iam nupsit cuidam viro nomine Richards(io), navis praefecto classis mercatoriae (captain of the Merchant Fleet), qui enimvero mox diem obiit extremum atque uxorem Mariam Iohannam in solitudine et, eheu, gravidam seu praegnantem reliquit.

Quibus rebus gestis peractisque paucis post mensibus Maria Iohanna Richards e gente Blair filiam peperit cui nomen Iosephina, sororem eadem matre, sed non eodem patre natam futuri Edgarii Vallacii aliquot annos post sequentis. Vidua tam praemature iam facta Maria Iohanna Richards e gente Blair collegam actorem nomine Ricardus Horatius Edgarius Marriott(us) cognovit. Coniunctim (eo tempore iam in oppido Liverpool in Theatro Regio (Theatre Royal) in eadem catterva seu familia seu grege histrionum matris Aliciae Marriotta(ae)-) fabulas egerant. Maria Iohanna, eo tempore iam paene XXX annos nata, amori cum illo Ricardo Horatio Edgario Marriott(o) operam dedit atque breviter post eam gravidam seu praegnantem esse ex collega actore illo constitit. Infans ex eo coniugio ingratus non erat exoptatus, non legitima coniunctione ortus, et mater innupta partum filii celavit. Filium autem ad clericum catholicum baptismationis causa attulit, sed nomen verum dissimulavit, falsum autem nomen in indicem ecclesiae oppidi Viridis Vici referens, attamen filiolo omnia praenomina patris tribuere se abstinere non potuit et itaque filiulus praenomina omnia patris Ricardus Horatius Edgarius, sed cognomen fictum "Vallacius" recepit, nam in indicem ecclesiae nomina parentis ficta commenticiaeque "Valtharius Vallacius" inscripta sunt.

Artifex autem scaenica seu atrix inops filiolum suis opibus privatoque sumptu nutrire educareque non potuit et illum tradidit mandavitque adoptionis causa familiae cuiusdam Georgii Freeman(ni), geruli piscium Londinensis ("Londoner Fischträger"). Familia Freemanniiana iam decem eo tempore habebat infantes, sed lubenter etiam Edgarium parvulum adoptavit et

ille coniunctim cum decem liberis (filiis filiabusque) adolevit pubuitque. Edgarius Vallacius semper iis modestis, sed magnanimis hominibus, quos veros parentes, veros fratres sororesque eius esse existimabat, gratam conservavit memoriam. Scholam frequentavit in via Tamesis (Thames Street), sed iam paene duodecim annos natus ludum litterarum dereliquit. Duodeviginti annos natus exercitum Britannicum iniit atque stipendia meruit in regimento cui nomen "Regimentum Canticum Occidentale Regium" (Royal West Kent Regiment). Postea corpori sanitatis (Sanitary Corps) adscriptus in Africa Meridiana sub signis Britannicis militavit. - Die autem Veneris (sexta feria) XII<sup>o</sup> mensis Maii anno MDCCCIC<sup>o</sup> munere militari se abdicavit et "correspondens" agenturae (procurationis) reum diurnariarum nomine Reuter factus est. In matrimonium duxit - patre sponsae invito! - Iviam Caldecott(iam) ("Ivy"), filiam cuiusdam missionarii. Ex eo conubio orti sunt infantes tres namque: Patricia Marion(a), Michael atque Brian. Sed anno MDCCCXX<sup>o</sup> iam divortium illius conubii factum est atque anno postero Ricardus Horatius Edgarius Vallacius in matrimonium duxit mulierem nomine Violet(a) King (Rex), ex quo conubio filia est orta Penelope.

Edgarius Vallacius, artifex ille clarissimus, emendator perfectorque speciei illius litterariae, cui nomen "fabulae Milesiae sive Romanae criminales", opifex erat incredibiliter ferax, impavidus, scriptor auctorque paene innumerabilium librorum, sed vitae degendae modus vivendique via eius erat prope modum ratione omni carens fatalisque: fumabat turpiter acervatim sigaretas et admodum nihil dormiebat. Itaque fieri potuit, ut vires eius celeriter absumptae essent. Die Mercurii (quarta feria) mensis Februarii anno MDCCCXXXII<sup>o</sup>, paene LVII annos natus, in Silva Sancta (Hollywood) in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis inflammatione pulmonum affectus diem obit extremum. Navis oceanica cui nomen "Berengaria" funus seu corpus mortuum Ricardi Horatii Edgarii Vallacii in Angliam patriam reduxit reportavitque atque in Southampton(ium) portum intrantem navem eiulatus sirenarum navalium innumerabilium accepit salutavitque. Magna Britannia autem iusta funebria adfecit persolvitque filio patriae, qui se clarissimum dignissimumque filium praebuerat praestiteratque.

Edition Goldmanniana (Goldmann-Verlag), anno MCMXXII<sup>o</sup> Lipsiae in oppido Saxoniae condita, anno MCML<sup>o</sup> Monaci Bavarorum denuo condita, anno MCMLXXVII<sup>o</sup> ab editione Bertelsmanniana suscepta) occasione diei vitae supremi L<sup>i</sup> Edgarii Vallacii data oblata-que omnia enim opera eius denuo in vulgus edidit parvo pretio in serie cui nomen "Pugillares Goldmannianae" (Goldmanns Taschenbücher) sub titulo "Romanae criminales rubrae" (Rote Krimis).

Ab anno MCMXXVI<sup>o</sup> opera Edgarii Vallacii ab editione Goldmanniana (conditor: Guilelmus Goldmann(us) 1897-1974) in vulgus sunt edita, usque ad hodiernum diem quinquies milies centena milia (500 000 000!) exemplaria. Dictum effectivum (Schlagwort) vetus hodie etiam nunc est vivax: Effici non potest, ut ab Edgario Vallacio (exspectatione) non possies captus esse!

CLXX istas fabulas Milesias seu Romanas "criminales" scripsit Edgarius Vallacius, quas - quod facillime comprehendì potest! - singillatim enumerare, eheu, non possumus. Res si ita se habet ex copia immensa operum Edgarii Vallacii exempla carptim adferre solum - hic loco volumus haec:

Quattuor viri iusti. (The four just men)  
Viri iusti Cordubenses. (The just men of Cordova)  
Domus secreta. (The secret house)  
Vir, qui novit. (The man, who knew)  
Angelus terroris. (The angel of terror)  
Vallis spirituum. (The valley of ghosts)  
Arcitenens virridis. (The green archer)  
Oculi mortui Londinenses. (The dark eyes of London)  
Mysterium trium quercorum. (The three oak mystery)  
Manus caerulea. (The blue hand)  
Filiae noctis. (The daughters of night)  
Fraternitas ranae. (The fellowship of the frog)  
Ultor. (The avenger)  
Abbas niger. (The black abbot)  
Ianua cum septem claustris. (The door with seven locks)

AMICUS

## Duo carmina natalicia

### O laetissima....

O du fröhliche...

O laetissima  
Beatissima  
Natalicia festivitas!  
Mundus (est) turbatus,  
Christus enatus;  
Gaude, gaude, o christianitas!

O laetissima,  
Beatissima  
Natalicia festivitas!  
Christus adventavit,  
Nos reconciliavit;  
Gaude, gaude, o christianitas!

O laetissima,  
Beatissima  
Natalicia festivitas!  
Agmina caelestia  
Tibi cantant "Gloria!";  
Gaude, gaude, o christianitas!

### O, santissimo....

O, santissimo  
Natale fulgido  
Mattino di serenità.  
Mundo è turbato,  
Christo era nato,  
Pia rallegrata la christianità!

Versio Latina: AMICUS


# Aenigma

## ad libram

- |                                        |                                                   |
|----------------------------------------|---------------------------------------------------|
| 1 ecce                                 | 17 ad mores pertinens                             |
| 3 postridie                            | 19 quae bibitur                                   |
| 5 hilarios                             | 20 aquā purgarit                                  |
| 7 peregrinae                           | 22 arbor meridiana dulces fruges ferens (Dat.pl.) |
| 9 incola oppidi prope Neapolim siti    | 23 non iam algeo                                  |
| 11 agit                                | 25 contrarium "siccus"                            |
| 12 foedus....= confederationem facerem | 26 deliberem vel concludam                        |
| 14 separas                             | 28 iter facimus                                   |
| 15 cognomen Hecatae deae               | 29 oppidum in fabula de Hero et Leandro           |
|                                        | 30 pronomen possessivum                           |

## ad perpendicularum

- |                                                               |                                         |
|---------------------------------------------------------------|-----------------------------------------|
| 1 regnum mortuorum (Dat.)                                     | 10 si avocant me                        |
| 2 die, quo vita hominis incipit (Dat.)                        | 11 properabo                            |
| 3 si vobis deest                                              | 13 lenis                                |
| 4 mons prope urbem Romam situs                                | 14 deus curru caelum cotidie percurrens |
| 5 cultura Latina (gen.sg.)                                    | 16 dicis                                |
| 6 desiderium omnium aegrotorum (l.pers.sg.)                   | 18 poscit                               |
| 7 opus Vergili poëtae (Acc.)                                  | 21 secreto (Adverb)                     |
| 8 poëta Graecus praeclarus                                    | 22 quid defunctis paratur               |
| 9 herba in campis crescens et aestate floritus rubris florens | 24 iungat                               |
|                                                               | 27 contrarium "summos"                  |



QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLV-  
TVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES  
VLTIMA KALENDIS IANVARIIS MCMLXXXIII EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium: LIBER  
secundum praemium: LIBELLVS  
tertium praemium: LIBELLVS

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

## S O L V T I O N E S

aenigmatis, quod vobis in  
libello 9+10/82 proposuimus,  
hic demonstrantur:



N	I	V	E
I	D	A	M
V	A	T	I
E	M	I	S

## Facete lepideque dicta

### In regione Montana....

In regione Montana Americae septemtrionalis bubulcus (Cowboy) quispiam magna voce cauponem inclamat: "Heus, caupo, doliolum vini pro equo (caballo) meo, extemp(u)lo!"  
Tum caupo: "Et tute, bubulce, nihilne bibere vis?"  
"Gratias ago Tibi maximas, bubulcus inquit, se me hodie diutius equitare oportet!"

### Apud psychiatrum

Aegrotus: "Eheu, medice mi, quaeso, possisne diffindere persona(litate)m meam? Tam solitarium desertumque sum!"

### Consensus mirus

Amica: "O quam similis accurate pusio (pupus) patri esse videtur!"  
Mater: "Etiam maritus meus eum sibi similem esse opinatur!"

## Responsum expeditum paratumque

Alexander Sergiifilius Puschkin(ius), vulgo Russice: Alexander Sergejewitsch Puschkin, 1799-1837, (Russice: puschka = Kanone, tormentum bellicum), poeta ille praeclarus omnibus notus, cuius fama per omnes terras propagata est, occasione saltandi in domo regia caesaris Russorum Nicolai Paulifilii (Russice: Nikolaj Pawlowitsch, 1796-1855) Petri Fano in oppido (Petersburg) data oblataque matronam nobilem aulicam (adlige Hofdame) quampiam ad saltationem invitabat, sed illa indignanter, inurbane, inhumaniter abnuebat verbis his: "Ego-metipsa, mecastor, non saltabo cum infante!" - Tum Alexander Sergiifilius Puschkin(ius) comiter humaniterque: "Veniam abs Te peto, matrona mea, inquit, adhuc nescius fui Te infantem exspectaturam esse!" (Sed praesagire non potui Te infantem exspectarturam esse.)



AMICUS

### Radiophonum Erivanense respondet

Q.: Quid est communista?

R.: Est homo scripturas Marcis Leninique legens.

Q. addita: Et quid est anticommunista?

R.: Est homo illas scripturas intelligens!

Q.: Proximo in concilio factionis communisticae maritus meus declaravit liberos nostros olim nobis melius victuros esse. Quam ob rem vinctus et carceri illatus est. Num hoc iustum?

R.: Certe iustum est! Punietur, quisquis finem systematis praedicere ausus erit.

Q.: Vobisne noti sunt novi modi Sovietici agri colendi?

R.: Noti sunt. In agris incultis seritur, in Canada messis emitur.

Martinus Meier



TRAGOEDIA  
BENITI MUSSOLINI

Scriptis : Plinius Prioreschi  
In Latinum converterunt : Ernestus Brehm  
Thomas Coffey  
Plinius Prioreschi  
Copyright by P. Prioreschi 1978

ACTUS II

Scaena II Conclave domi Clarae Petacci. Ex porta cubiculi Mussolini intrat vestimenta sibi induens. Collulum camisiae nectit, giacham sibi induit et in divano\* considit. Clara cum eo conloquitur ex cubiculo per portam apertam.

Clara : Visne pocillum cafaei?  
Mussolini : Nolo, gratias, satis hodie cafaeum bibi.  
Clara : Momento fiat.....  
Mussolini : Nolo, gratias. Veni et conside mecum.  
Clara : Venio....  
(paulo post Clara intrat, veste domestica induta. Considit in sella)  
Clara : Spero te paululum morari posse, aliquod cibi parem. Iam dudum simul non cenabamus.  
Mussolini : Infeliciter... tempus mihi non est, more solito.  
Clara : (Quieta voce): Certe. In bello sumus. Bellum, bellum, instar immensae sanguisugae quae omnium sanguinem, tempus, sensus, volun-

tatem, vitam sugit. Sanguisuga immensa quae crescit et grandescit et totum orbem terrarum obtegit. Tam immanis est ut, etiamsi nunc moriretur, foetore mundum per annos opprimeret.

Mussolini: Hodie adflicta es.  
Clara : Non magis solito. Nonnumquam nocte e somno pavore plena expergo quia eos te... eos te ablaturus somniavi....  
Mussolini: (Post pausam): Quis praevidere potuisset bellum tam diu duraturum.... Conamur videre ventura, sed solum Di possunt....  
Clara : Quando finem habebit?  
Mussolini: Nescio.  
Clara : Si... casus daretur... si perderemus, quid tibi occurreret? Quid nobis?  
Mussolini: Tempus fuit ubi post bellum victor et victus inter se gratularentur pro virtute sua et unus alterum superare urbanitate conaretur. Aliis temporibus, vae victis: Vercingetorix strangulatus est post annos in carcere. Hodie victus criminosus est, criminosus belli\*\*...  
Clara : Paratus esse debes, si casus daretur... certa sum tibi esse facultates... dicere volo si necesse sit.. in locum securum effugere...  
Mussolini: (Surridens): Vere, hic dies ater tibi... nondum perdidimus. Praeterea, vero putasne fugam mihi possibilem?  
Clara : (lacrimat, facie manibus operta): Si non, te occident!  
Mussolini: (It ad sellam, brachium eius complectitur et eam adiuvat prope eum considerare in divano, tum eam complectitur). Noli lacrimare. Multis discriminibus super fui. (Surridens) Non tam facile est me occidere.

Clara : Si modo non esses... interdum somnio... abire possemus... in Helvetiam aut in Hispaniam et placide in domuncula habitare... ego pro te irem diurnalem\*\*\* emptum et nuntia mundi audiremus ac tu mihi earum rationes causasque explicares... liberi essemus hoc terribili incubo... essemus sicut omnes alii... tuti quia solum duo essemus inter miliones. Sed nunc... tu es Mussolini... (lacrimat).

Mussolini : Imaginare tecum me in horto petunias serentem ac effectibus praematuri frigoris in poma aurea\*\*\*\* curantem! (surridet).

Clara : (Surridens) Scio. Somnia mea fatua sunt. Aliquando mihi opus est cogitare me tecum abire ac placide quieteque vivere. Nonne somnias? Quae sunt somnia tua? Numquam somnia tua mihi narravisti.

Mussolini : Nunc tempus mihi ad somniandum non est. (Surridet).

Clara : Curo de valetudine tua... pallidior maceriorque videris.

Mussolini : Bene me habeo, non debes curare.

Clara : Fortasse nimis laboras.

Mussolini : Cum laborare me taedet, venio te visum.

Clara : Iterumne cras venies?

Mussolini : Si possibile. Nunc abire debeo.

Clara : Possumne tibi aliquid parare antequam eas?

Mussolini : (Surgens) Gratias tibi ago. Edam aliquid laborans.

Clara : (Surgens) Veni, quaeso, ubi primum poteris...

Mussolini : (Eam osculatur) Veniam. Vale. Non opus est te ad ianuam venire. (Exit.)  
(Clara in divano iacet et lacrimat. Post paulum ostium pulsatur.)

Clara : (Sedens.) Quis est?

Famula : Domina Rachele Mussolini colloquium petit.

Clara : Domina Rachele Mussolini?

Famula : Ita est.

Clara : (Surgens et ad ostium cubiculi ambulans.) Intret et dic ei me brevi adituram esse. (It in cubiculum. Post parvam pausam famula Dominam Rachele introducit.)

Famula : Signora mox aderit. Quaeso, conside.

Domina Rachele : (Considit in divano.) Gratias. (Exit famula. Domina Rachele immobilis sedet. Post paulo Clara intrat veste domestica induta.)

Clara : Domina Rachele... deploro tibi exspectare necesse... (Pausa) cui hunc honorem debeo?

Domina Rachele : Scis quod volo. Volo te viro meo absistere. (Pausa longa. Clara manibus super tergum sellae stat.)

Domina Rachele : Habesne aliquid dicendo?

Clara : (Capite negans.) Non habeo.

Domina Rachele : Conside! (Indicat sellam. Clara considit.) Absiste meo viro! Senex est et difficultates satis habet. Absiste eo. (Pausa longa. Clara manet oculis in terram deiectis.)

Domina Rachele : Volo ut abeas, et promittas te eum numquam postea visuram.

Clara : (Post longam pausam.) Non possum.

Domina Rachele : Nonne potes? Quomodo non potes? Vir meus est! Quo iure es? Num putas pulchrum os aliquosque annos iuventutis relictos tibi iura dare ad..... Quo iure es?

Clara : (Voce submissa.) Nullo.

Domina Rachele : Vis amatrix Ducis esse, magni potentis viri. Potestas eius te fascinat. Quid scis de eo? Uxor eius per annos certaminis ac obscuritatis fui. Tibialia ac bracas eius reficiebam dum is in lecto exspectabat quia alias non habebat. Eo brachia circum dabam cum fractum ac victum se habebat. Nunc senex est ac altera maior clades fortasse veniet... iterum me agebit... Quid vis? (Vocem augens) Dic mihi quid velis.

Clara : (Voce submissa.) Nihil.

Domina Rachele : Tunc abi et absiste eo!

Clara : Non possum.

Domina Rachele : Lupa! (Manum levat ac Clarae faciem ferit. Clara deiecta in sella lacrimat.) Hoc antea invenire debuissem sed nunc abibis... audisne? Nunc!

Clara : (Capite negans, voce submissa.) Non possum, non possum.

(Domina Rachele parumper eam silens spectat, tum in divano iterum considit)

Domina Rachele : Desine lacrimare et de amore permagno qui te submersit dic mihi atque de paralyse voluntatis tuae eius irresistibili ardore effecta... noli mihi omnia praeclara verba parcere... age! age! (post pausam) Fortasse paululum auxilium tibi necesse... auxilium argentarium pro impensis migrationis\*\*\*\*. (Mordaciter) Nunc vita tam cara est... certe congruamus... si pecuniam nominare velis...

Clara : Non.... (lacrimat)

Domina Rachele : Quanti? Iam cum feminis tibi paribus egi. Semper illi amores permagni exitum habent

mixtura tedii, pecuniae, iurgorum adiuvante. Spero te tuum non aliorum dissimilem habere.

Clara : Me... me paenitet. Scio ut sentis... credo me scire...

Domina Rachele: (Mordaciter) Ah! Nunc indulgentiam tuam habeo.

Clara : Conabor ire... sed non hoc tempore... ei terribile tempus est... fortasse quando minus subsidium ei necesse sit... solum homo est... te eget... fortasse me... paulum. Hoc tempore eum deserere non possum. Nihil, nemo sum, nullo iure sum... solum peto ne eum plus sufferre faciamus.

Domina Rachele: Nunc video. Instar hostiae es. Solum vis ad pedes domini tui servire, ad moriendum parata eius arbitrio.

Clara : Iam solus est. Solum te... et me habet. Nunc vere solus est. Hoc scis... non possumus... nunc eum deserere non possum... fortasse ei haud multum non sum... ut dixisti multas mihi pares habuit sed etsi ei paulum sum, non possum... hoc onus etsi parvum addere.... tu scire debes... scire debes melius quam ego quam grave sit esse solum. Bellum fere perditum est atque omnes volunt longinquitatem ab eo instituere, omnes se parant ad evenienda... aliquando huc venit et mihi repetit, pro certo habeo, quae tibi iam dixit.... non propter melius firmamentum meum sed quia aliquis fidelis sum et ille solus. Aliquando animum meum confirmat, metus meos sedat et sic faciens tristitiam suae solitudinis lenit... quaero ne eum auxilio meo miserabili privemus.. parvulum est... fere nullius momenti... sed nunc eum deserere non possum... promit-

to post hanc terribilem procellam... post  
procellam... tunc me ituram... polliceor..  
quaeso... quaeso...

Domina Rachele: Vir meus et ego multis procellis superfui-  
mus nullo adiuvante. Te non egemus.

Clara : Nunc res aliter se habent. Scis res aliter  
se habere. Bellum perditum est et inimici  
ei non parcent. Turbae quae pro eo ad mori-  
endum paratae erant, ultionem volent. Et  
solum homo est. Sensus mei... tui... nulli-  
us momenti sunt... si successum habuisset  
omnes flores viam eius triumphî pavimenta-  
vissent. Clade, omnes eum contemnent.

Domina Rachele: (amare) Omnes Itali fascistae erant...

Clara : Sane erant.

Domina Rachele: Profecto erant. Etiam intimi eum derelin-  
quent sui conservandi causa...

(pausa longa)

Domina Rachele: (surgens) Promisisti te discessuram esse  
post procellam. Iam veniet... tunc demum  
ibis.

Clara : Ita est... tunc ibo...

(Exit Domina Rachele dum Clara os defixum  
tenens in sella sedet.)

#### SIPARIUM

- \* divanum = couch
- \*\* criminosus belli = war criminal
- \*\*\* diurnalis = newspaper
- \*\*\*\* poma aurea = tomatoes
- \*\*\*\*\* impensae migrationis = moving expenses

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad adressam infra  
stantem.  
(ich abonniere RVMOR VARIVS  
mit Rechnung an:)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Datum und Unterschrift:


für

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE ET  
CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:



RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

11+12/82

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 38